Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1789

Quelle:
Copyright:

ſtituti. Ad quem peragendum ex utraque parte ſeptem perſonæ deputatæ fuerunt. &c. Plenius hic, quam *Cod. praeced. fol.* 34. et ita, ut habetur *Coeleſtini* T. III. p. 43.

Fol. CXXIV. Recenſus inſcriptus: *Monſtra Sectarum ex Luthero Enata.* Enumerantur praecipue *Zwinglii* aſſeclae, *Catabaptiſtae*, *Pneumatici.* Propoſitionibus illorum plerumque Aſſertoris nomen ſubjectum eſt.

Fol. CXXXIV. Affectum Exemplar *Confutationis* Scripti a IV. Civitatibus Caeſari oblati, cur *Decreto Spirenſi* parere non poſſint. Initium: *Cum ſuperioribus diebus Argentoracen. Nurnbergen.* &c. *Ciues ex Commiſſione Cæſ. Maiſtis. interrogati eſſent Cauſas* &c. Notat *Faber* in margine, Confutationem hanc oblatam non fuiſſe.

Fol. CXXXVII. *Reſponſio Catholicorum* ad Confeſſionis Auguſtanae Articulos a I. usque ad XXI. Alia a tribus, quae leguntur apud *Coeleſtinum* T. II. p. 234. T. III. p. 1. et p. 36. Incipit: *Eccleſiæ apud nos magno conſenſu docent* &c. *Reſponſio. Recte hic ſentiunt ad normam fidei et cum Romana conueniunt Eccleſia* &c.

Fol. CLXXV. Continuatur haec *Reſponſio* et deficit in *Art.* IV. *Abuſuum* nempe *de Confeſſione.*

Fol. CC. *Hypercriſis* quaedam *Theologi Romani* cum *Reſponſo* Catholicorum ad *Confeſſionem Aug.* in quibusdam Articulis minus contenti. Incipit: *In Articulis 2. 4. 5. et 6. non multum moveor. Quum in ipſis non videantur noſtri aliquid fidei catholicæ contrarium admiſiſſe. Quamvis ſcholaſtice, iuxta uariarum Sententiarum opiniones, aliter et aliter potuiſſent in eis admiſſa dici.*

Fol. CCIX. Oſtenditur ex Libris *Lutheri* et Aſſeclarum, eos *Auguſtanae Confeſſioni* contraria docuiſſe, idque ordine *Articulorum* et germanice. Clauſula eſt: *Ob nu diſe vnd dergleichen vyl andre ſpruch vnnd leere ſo in Luthers vnd ſeiner geſellen Buchern geſchriben ſeyn. diſer Bekantnus der Fürſtenn gleichmeſſig ſind, mag yederman woll ſelbs ermeſſen.*

Fol. CCXXIV. Elenchus Aſſertionum ex Operibus *Lutheri*, *Melanchthonis* et *Bugenhagii.*

Fol. CCXXVI. *Refutatio* germanica *Scripti* a IV. Civitatibus Imperatori oblati contra *Decretum Spirenſe.* Eadem, quae latina *ſupra fol.* CXXXIV.

Fol. CCXXVIII. *Catalogus* Librorum *ſupra fol.* LXXX. indicatus, ſed hic germanica lingua.

Fol. CCXXX. Reſponſio ad Proteſtantium *Artic. de Miſſa* quotidiana ſeu privata.

Fol. CCXXXII. Series Aſſertionum e diverſis *Lutheri* Operibus excerptarum.

Fol. demum CCXXXVIII. Series ſimilis Propoſitionum *Zwinglii.*